

Inveniant: salvo in omnibus Romane Ecclesie jure, & Sedis Apostolicæ reverentiâ. Amen. Honorii PP. EGO HONORIUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus s.



Ex S. R. E. Cardinalium subscriptionibus.

- Ego Crescentinus Sabinensis Episcopus s. Ego Petrus Portuensis Episcopus s. Ego Unalis Albanus Episcopus s. Ego Willelmus Prensianus Episcopus s. Ego Aegidius Tusculanus Episcopus consensit. Ego Gregorius Presbyter Card. tit. Apostol. s. Ego Rossemagnus Diaconus Card. S. Georgii s. Ego Cosmus S. Marie in ... s. Ego Gregorius S. Angeli Diaconus Card. s.

Dat. die 1. Aprilis anno Domini 1125. Pontif. anno.

Datum Laterani per manum Aymerici S. R. E. Diac. Card. & Cancellarii, IV. nonas Aprilis Indict. III. Incarn. Dominicæ anno MCXXV. Pontificatus nostri anno primo.

IV.

Confirmatio bonorum omnium sanctæ Feretrane Ecclesiæ.

Ex Originali edidit Ughell. Ital. Sac. To. II. ubi de Ravennat. Archiep.

Honorius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Petro Feretrano Episcopo, ejusque successoribus canonicè promovendis, in perpetuum.

Exordium.

Ecclesia Feretrana sub protectione Sedis Apostolice recipitur: Et confirmatur bona omnia ad eam pertinentia, quæ enumerantur.

Officii nostri nos hortatur auctoritas pro Ecclesiâ statu satagere, & earum quieti & utilitati salubriter, auxiliante Deo, providere. Proinde, carissime in Domino frater Petre, sanctam Feretranam Ecclesiam, cui Deo auctore presides, in beati Petri tutelam, nostramque protectionem suscipimus: Statuentes presentis privilegii auctoritate, ut Ecclesiæ possessiones, & bona quæcumque, quæ vestra Feretrana Ecclesia impræsentiarum justè & legitime possidet, sive in futurum, largiente Domino, justè atque canonicè poterit adipisci, firma ei, & illibata permanent: In quibus hæc propriis duximus nominibus exprimenda, videlicet: S. Pancratii cappellam, sancti Martini in Monte, cappellam sanctæ Sophiæ, cappellam sanctæ Mariæ in Plebe cum curte sua, plebem sancti Laurentii in Folia cum pertinentiis suis, cappellam sancti Michaelis cum curte sua, monasterium sanctæ Mariæ in Scriptino cum omnibus suis pertinentiis, plebem sancti Johannis in Carpino cum suis pertinentiis, cappellam S. Marini, & possessionem, quæ est in Carpino, plebem sancti Cassiani in Pifino cum omnibus suis pertinentiis, & fundum suum integrum, cappellam sancti Theodori cum suis pertinentiis, & terram in Valle cava & mo-

ledano, plebem sancti Theonisti in loco, qui dicitur Corina, cum omnibus pertinentiis suis, plebem sancti Marini cum castello & pertinentiis suis omnibus, plebem sanctæ Agathæ cum omnibus pertinentiis suis, & curte, quæ vocatur Farnito in loco, qui dicitur Oviliono, plebem sancti Martini in Murisano cum pertinentiis suis, plebem sancti Hilarii cum pertinentiis suis, plebes sanctæ Mariæ in Vico cum pertinentiis, plebes sancti Stephani in Murlo cum pertinentiis suis, monasterium sancti Martini in Salto cum pertinentiis suis, plebes sancti Petri in Culto cum pertinentiis suis, plebem sancti Petri ad Missam cum pertinentiis suis, fundum Hermannum in integrum, fundum Adinum in integrum, monasterium sancti Salvatoris in Fundo, cellam Faustii in integrum cum suis pertinentiis, plebem sancti Martini de Vivedo cum omnibus suis pertinentiis cum castello, quod vocatur Casale de llice, plebem sancti Cassiani in campo Juvenici cum pertinentiis suis in integrum, plebem sanctæ Mariæ in Romania cum omnibus suis pertinentiis, plebem sanctæ Mustiolæ cum pertinentiis suis, monasterium sancti Severini cum pertinentiis suis, cappellam sancti Proculi cum pertinentiis suis, & tertiam partem de fundo Atiliano, tertiam partem de fundo Bucuniano, tertiam partem de fundo Justorum cum campo, qui vocatur Martii in integrum, tres petiolas de terra fundi Atiliani, Stabulo, tertiam partem de fundo qui vocatur Plegæ, fundum Plegni in integrum, fundum Alfidiarum, qui vocatur campus Planus, fundum Frigi in integrum, fundum Antimaria in integrum, fundum Columella in integrum, fundum post Cullina, cappellam sancti Archangeli in integrum, fundum valis Donatuli, massam Licinianam in integrum, fundum Ausi in integrum, cella Faustii, Scannulas majores & minores in integrum, cappellam sanctæ Agathæ cum castro, quæ vocatur Petra Anellaria, cappellam S. Georgii in integrum, fundum Cervianum in integrum, fundum Capicinianum, curtes, quæ vocatur Grilena, cum omnibus pertinentiis suis in castello Felicitatis, cappellam sancti Martini in Castagnolo, cappellam sanctæ Sophiæ in Aquatario, cappellam S. Mariæ in Metavistis in integrum, Ecclesiam Floræ in Scapinio, fundum Sititanum, fundum Campo Planum cum omnibus suis pertinentiis, Castellum novum, quod vocatur Petrella: salvâ in omnibus Romane Ecclesiæ justitiâ, & reverentiâ. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat &c. Si qua &c. Cunctis autem &c. ut in ceteris antepositis. Amen.

EGO HONORIUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Datum Laterani per manum Aymerici S. R. E. Diaconi Cardinalis & Cancellarii, II. Kal. Maji Indictione III. anno Dominicæ Incarnationis MCXXV. Pontificatus autem D. Honorii II. PP. anno I.

Cum decreto perpetuè in nunciatis; Minantur solita pœna Privilegii hujus violatoriibus. Honorii PP. subscriptio: Dat. die 30. Aprilis anno Domini 1125. Pontif. an. I.

Eccle.

V.

Ecclesiæ Provinciæ Emilie, & Exarchatus Ravennæ, Gualterio Archiepiscopo, & successoribus confirmantur in perpetuum.

Ex Ughell. Ital. Sac. To. II. ubi de Ravennat. Archiep.

Honorius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Gualterio Ravennati Archiepiscopo, ejusque successoribus canonicè promovendis.

De obedientia a ceteris Ecclesiis Romane tamquam capiti præstata: ad Ecclesiârum.

Sacro sancta Romana Apostolica Ecclesia ab ipso Salvatore nostro Domino Jesu Christo Caput & Cardo est omnium instituta. Non decet igitur a capite membra discedere, sed eminenti rationi, & supèri provisioni Capituli obedire; moderatrix autem discretio Capituli, singulorum membrorum officiosas actiones considerans, uniuscuique jus, & ordinem, & naturâ constitutum, distinctè reservat, & naturâ sociali charitate custodit. Hac igitur inducitur ratione, honorem famosæ Ravennatis Ecclesiæ, Apostolicæ Sedis propriæ specialis filia, sine diminutione aliqua volumus conservare; ideoque, venerabilis frater Gualteri, quem pro Ecclesiâ strenuitate, doctrinæ, religionis, & morum honestate, plenâ in Christo caritate diligimus, tuis rationabilibus postulationibus paternæ pietatis affectu annuimus. Per præsentis privilegii paginam confirmamus Episcopatus, videlicet Emiliæ Provinciæ, idest Parmæ, Placentiæ, Regii, Mutinæ, Bononiæ, Ferrariæ, Adriæ, Comacini, Imolæ, Faventiæ, Foroliviæ, Foripompiliæ, Bobii, Cesenæ, Ficolæ. Præterea confirmamus vobis Exarchatum Ravennæ, qui Romane Ecclesiæ juris est, & Monasteria sancti Alberti, sancti Hilarii, seu cetera Monasteria, & possessiones, ad vestram Ecclesiam pertinentes, per authentice privilegia ab antecessoribus nostris, & catholicis regibus traditas. Pomposiani quoque Monasterii curam personæ Religionis tuæ, salvo Ecclesiæ nostræ jure, committimus, ut regularis disciplina per suam industriam reformetur. Nulli ergo omnino hominum facultas sit, nostram Ravennatem Ecclesiam temerè perturbare, aut possessiones ejus auferre, vel ablatas retinere, minuire, vel temerariis vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur tam tuis, quam Clericorum, & pauperum usus profutura. Si quæ igitur ecclesiastica in futurum, secularive persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi præsumptionem suam satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtè ultionis subiaceat. Cunctis autem eidem Ecclesiæ justè servantibus sit pax D. N. J. C. quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen.

Gualterii Archiep. singularem in Sede Apostolice.

Eidem & successoribus confirmantur Ecclesiæ Emiliæ.

Ceteræque Exarchatus Ravennæ.

Et nonnulla Monasteria.

Decretum in nunciatis bonorum ad Ravenn. Ecclesiam pertinentium.

Cum solitis clausulis.

Honorii PP. Ex S. R. E. Card. subscriptionibus.

EGO HONORIUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Ego Bonifacius Cardinalis S. Marci subscriptus.

- Ego Gregorius Cardinalis SS. Apostolorum subscriptus. Ego Benedictus Cardinalis tit. Eudoxiæ subscriptus. Ego Anastasius Presbyter Cardinalis tit. S. Clementis subscriptus. Ego Conradus Presbyter Cardinalis tit. Pastoris subscriptus. Ego Desiderius Presbyter Cardinalis tit. S. Prædix subscriptus. Ego Deus-dedit Cardinalis Presbyter tit. SS. Laurentii in Damaso subscriptus. Ego Petrus Pisanus Presbyter Cardinalis S. Martyris Susannæ subscriptus. Ego Petrus Cardinalis tit. S. Calixti subscriptus. Ego Petrus Presbyter Cardinalis S. Marcelli subscriptus. Ego Vitalis Albanensis Episcopus subscriptus. Ego Petrus Portuensis Episcopus subscriptus. Ego Guilandus Prænestinus Episcopus subscriptus. Ego Aegidius Tusculanus Episcopus subscriptus. Ego Comes sanctæ Mariæ in Agro Diaconus subscriptus. Ego G. G. Diaconus Cardinalis sanctæ Mariæ in Porticu subscriptus. Ego Romanus Diaconus Cardinalis S. Angeli subscriptus. Ego G. G. Diaconus Cardinalis sanctorum Sergii & Bacchi subscriptus. Datum Laterani per manum Aymerici an. MCXXV. Dominicæ Incarnationis.

Dat. an. 1125 Pontif. an. I.

VI.

Privilegium Confirmationis bonorum omnium, ad Savignienfè Monasterium Eboracen. Diocesis spectantium.

Honorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Gaufrido Abbati S. Trinitatis de Savignejo, ejusque successoribus regulariter substituendis, in perpetuum.

Ex MS. Monast. hujus edidit Mart. Tom. I. Theaur. Nov. anecdot pag. 361.

Exordium.

Ad hoc nobis a Deo Pastoralis officii cura commissâ est, ut & bene placentem Deo religionem laboremus statuere, & stabilitam exactâ diligentia conservare. Ea propter, dilecte in Domino fili Gaufride Abbas, venerabilis fratris nostri Turfimi Eboracensis Archiepiscopi precibus inclinati, tuis rationabilibus postulationibus duximus annuendum. Statuimus enim, ut Monasterium B. Trinitatis de Savignejo, cui Deo auctore, præesse cognosceris, quæcumque impræsentiarum justè, & legitime possidet, firma tibi tuisque successoribus, & illibata permanent: quæcumque præterea in futurum, largiente Deo, concessione Pontificum, liberalitate Regum, largitione Principum, poteritis adipisci, firma vobis & integra conserventur, salvâ nimirum Dicecesani Episcopi justitiâ, & reverentiâ. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum Monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuire, vel temerariis vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt, usus omnimodis profutura. Si quis autem huic nostræ constitutioni sciens temerario ausu contrari-

Bona cum presentia, tû futura Monasterio confirmantur.

Libera a cuiusvisque personæ molestia.

Sub pœna excommunicationis.

10

Dat. die 9. Decembris.

re tentaverit, anathematis sententiam se noverit incursum. Datum Lateranis V. Idus Decembris (a).

VII.

Confirmatio cudendi monetam in Terris sibi subiectis favore Savarii de Maloleone sub annuo censu unius Marchæ auri.

Honorius Episcopus Servus Servorum Dei, dilecto filio Nobili Viro Savario de Maloleone Crucesignato, salutem & apostolicam benedictionem.

Superius in archiepis.

Invicta fides & devotio indefessa quam, erga Joannem Regem Anglorum nosceris habuisse, te ac tua ponendo pro ipso, sicut illi materiam præstitit, te dignis honoribus munerari sic & nobis, tuis remunerationibus præstandi favore non immerito persuadet; ut tua circa eum grata obsequia, & ipsius erga te retributam gratiam approbantes, utriusque Siciliæ reddamus honorificentiam clariorem. Cum igitur, sicut tua Nobis exhibita petitio continebat, idem Rex pensatis tuæ devotionis obsequiis in Terra tua cudendæ monetæ tibi liberam de liberalitate regia concesserit facultatem, sicut in ejus literis plenius continetur; nos, concessionem hujusmodi gratam habentes, eam tibi, sicut juste possides & quietè auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Ad indicium autem hujus a Sede Apostolica confirmationis obtentæ, unam Marcam auri annis singulis, quibus moneta ipsa cudetur, nobis & successoribus nostris exolves. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Laterani XX. Kalendas Maii Pontificatus nostri anno II.

Dat. die 20. Aprilis anno Domini 1126. Pontif. anno II.

VIII.

Adempta a Callisto II. Pisanis Archiepiscopis consecrandorum in Insula Corsica Episcoporum prærogativa, eisdem restituitur.

Ex Ughell. Ital. sac. Tom. III. ubi de Pisanis Archiep.

Honorius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Rogerio Pisano Archiepiscopo, ejusque successoribus canonice substituendis, in perpetuum.

Exordium.

Ad hoc in sancta Matre Catholica, & universali Romana Ecclesia, quæ justitiæ sedes est, nos auctore omnium bonorum Deo cognoscimus constitutos, ut suam Ecclesiis omnibus justitiam conservemus, & si quid perperam gestum esse noverimus, rationis consilio ad rectitudinis tramitem reducamus, quatenus & quæ cor-

(a) Edmundus Martenne hoc primum a se editum Privilegium notat inter Monumenta anni 1124. & sequentis.

rigenda sunt. ordine judiciario corrigantur, & quæ recte statuta noscuntur, in sui vigoris robore perseverent. Prædecessor equidem noster sanctæ memoriæ Urbanus Papa justitiæ, ac charitatis intuitu, consilio Episcoporum & Cardinalium, & aliorum fidelium assensu, Pisanæ Ecclesiæ, & Dajaberto, qui ei præsidebat, ejusque successoribus canonice intransibus, Corsicane Insulæ Episcopatus regendos & disponendos commisit, atque subjecit. Eundemque Dajabertum in Archiepiscopum Insulæ Corsicane promovit, & Corsicanis Episcopis, ut ei tamquam Metropolitanano suo obedirent, per obedientiam præcepit. In magna namque & diuturna schismaticorum tempestate, quam Romana tunc temporis patiebatur Ecclesia, Pisanorum civitatem multis laboribus fecit obnoxiam. Corsicana vero, tam proximitate spatiorum, quam negligentia pastorum, dominorum insolentia, & defectu Legatorum Sedis Apostolicæ, a subjectione & obedientia Romanæ Ecclesiæ deseruerat, & dissolutioni, ac dissipationi dedita ecclesiastici ordinis ne desererat disciplinam. Proinde idem prædecessor noster totâ Pisanis collatorum beneficiorum meritis dignè respondit, & Corsicanæ Ecclesiæ, quæ Pisanis propior est, debita charitate providit. Postmodum vero successor ejus Papa Gelasius, ejusdem charitatis respectu, idem juris & dignitatis, quod a Domino Urbano Papa Pisanæ Ecclesiæ collatum fuerat auctoritate sui privilegii confirmavit. Quo de hac luce assumpto prædecessor noster Papa Callistus ejusdem rationis consideratione, quod ab antecessoribus ejus Urbano, & Gelasio datum & confirmatum Pisanæ Ecclesiæ fuerat; privilegii sui munimine roboravit. Januenses autem honori Pisani populi invidentes, & eorum incrementum æquo animo non ferentes, hujus rei sumpta occasione guerram contra Pisanos moverunt. Unde egredes, incendia, & multa christianorum captivitates, peccatis exigentibus, contigerunt; & debacchandi in christianos Sarracenis multa crevit audacia. Præterea Januenses ad Urbem venientes Romanum clerum, & populum sollicitate attentius studuerunt, suadentes eis magnum esse Romanæ Ecclesiæ detrimentum, nisi concessa dignitas Pisanæ auferretur Ecclesiæ. Asserebant enim Romanam Ecclesiam hujus guerræ causam & fomentum existeret; & si Corsicanorum Episcoporum consecratio ad proprium dominium Romanæ revocaretur Ecclesiæ, indubitanter inter se & Pisanos pacem, & concordiam provenire. His igitur causis Dominus Papa Callistus pacis amator inductus, donationem illam Pisanæ Ecclesiæ a suis antecessoribus factam, & a se ipso firmatam, pacis intuitu revocavit, & scripti sui pagina irritavit. Cæterum, neque suis, neque nostris temporibus, inter Pisanos & Januenses est adhuc concordia consecuta. Post commissum vero nobis a Deo Romanæ Ecclesiæ regimen, tu frater Rogeri Pisane Archiepiscopi, & Consules ad nos venientes, ut de consecratione Corsicanorum Episcoporum, quæ Pisanæ Ecclesiæ a prædecessoribus nostris Urbano, Gelasio, & aliis collata fuerat, & sine præcedentia ipsorum Pisanorum culpa, & absque iudicio ablata, justitiam faceremus, suppliciter rogavisti, præsentibus etiam Pisanis. Januenses postea ad præsentiam venientes, ut eidem facta ablatio, a Papa Callisto facta, per nos firmaremur, nihil.

Series agitæ sapientis hujus controversiæ.

Ejus examen coram Honorio PP.

nihilominus postularunt. Nos autem utroque ad pacem faciendam diligenter monuimus, sed pacem, ab eis precibus vel monitis impetrare nequivimus. Januenses enim; qui ad nos venerant, se ad hoc non esse a populo suo missos, neque ejus mandata posse transgredi asserunt. Habito igitur fratrum nostrorum Episcoporum & Cardinalium consilio, quod uterque populus ad pacem cogi ratione deberet, convenimus. Legatum ergo nostrum, Comitum tunc Diacorum Cardinalem, cum scriptis nostris Januam, & Pisanis missimus, præcipientes, ut in manu ejus juramento firmarent, & de sacra Corsicæ, & guerra usque ad tunc proximum sancti Michaelis festum nostris iussionibus obedire. Transacto itaque termino, utraque pars ad nostram venit præsentiam. Nos autem diligenti studio ad pacem inter eos statuendam, quamvis non profecerimus, laboravimus; denum cum ab eis quæreremus, ut juramento firmarent, se nostris obedire mandatis; Januenses se id implere non posse dixerunt, eo quod sui consulatus terminus esset expletus. Tunc communis deliberatione consilii, Pisanorum super hac causâ juramentum recepimus; & ne Januenses aliquam rationabilem contra nos occasionem præderent secundum eis, & tertium per nostros nuncios, & literas terminum dedimus. Qui profecto neque pro se excitationem canonicam direxerunt. Cum ergo inter Romanam Ecclesiam, & Pisanam, quæstio remaneret, & Pisani ad requirendam Ecclesiæ suæ justitiam non desisterent, fratres nostros Archiepiscopos, Episcopos, & Abbates, qui causam & modum rei gesta a prædecessore nostro Callisto plene pronoverant, convocavimus. Quibus in sacro Lateranensi Palatio in nomine Domini congregatis regebat prædecessorum nostrorum Urbani, Gelasii, & Callisti tradidimus; & quid inde a nobis, postquam Apostolicæ Sedis onus assumpsimus, factum fuerat, & quantum pro pace inter eos componenda laboraveramus, diligenter ostendimus; rogantes in charitate, qua venerant, ut juxta quod eis sancti Spiritus gratia revelaret, nobis consulerent. Postmodum vero adjurati in fide, quam beato Petro, & Romanæ debebant Ecclesiæ, responderunt se nulla alia causa nisi divinâ charitate ad id, quod dabant, consilium, fuisse adstrictos, quod nimirum consilium per scriptum propriis roboratum manibus ediderunt. Cujus videlicet scripti verba hæc sunt: Spiritus sancti dictante gratia: Dominus Honorius sacratissima, & Apostolicæ Sedis Episcopus, diversamque Provinciarum Archiepiscopis, & Episcopis, ac Abbatibus, quid de negotio Pisanæ Ecclesiæ justè canonicèque faciendum foret petiti consilium. Quibus rationabiliter visum est, quatenus & beatæ memoriæ Urbani, Gelasii, Callisti privilegia, & decreta inconcussa permanent, & Pisanam Ecclesiam debere restitui Corsicatis Episcopatibus, absque iudicio proprio ordine spoliatam. Et scripto huic subscribere Archiepiscopi Gualterius Ravennas, Romualdus Beneventanus, & Episcopi Guillelmus Urbevitanus, Guido Aretinus, Gregorius Tarentinus, Pandolphus Tarenensis, Clarissimus Assisensis, Robertus Averanus, Richardus Casetanus, Traimundus Signinus, Johannes Calenas, Gualfredus Semensis, Gualfredus Sveflanus, Ramulphus Casteranus, Jacobus Faventinus, Otho

Judicium Archiepiscoporum, & Episcoporum assensuumque consensuumque ius eorumque ius consecrationum Pisanis Archiep.

Nomina eorum, qui huic scripto sese subscripserunt.

Sutrinus, Petrus Castellane civitatis, Benedictus Nepefinus, Ildito Soanenensis, Gherardus Amelienensis, Benno Casenas, & Petrus Tuscanus; & Abbates sancti Laurentii Averfani, Matthæus & Johannes sanctæ Sophiæ, atque Johannes Camaldulensis Prior; interfuere etiam alii Episcopi Benedictus Lucanus, & Andreas Lunensis, Illandus Massanus, Petrus Alufinus, & Otho Tudertinus: Absentes quoque, Oldegarus Tarraconæ Archiepiscopus, Gualterius Magalonæ, & Gottfredus Florentinus Episcopi assensum, & consilium suum per proprias literas præbuerunt. Præterea Collaterales fratres nostri Episcopi & Cardinales, in unum convenientes in Domino, inter se consulere ceperunt, & ab omnibus præter unum diaconum judicatum est, quod Papæ Urbano, ex auctoritate Romanæ Ecclesiæ, etiam contra voluntatem Episcoporum ipsius insulæ licitum fuerit Pisanum Episcopum provisorem, & Metropolitanum Corsicanæ Ecclesiæ constituere, successoribus autem ipsius Domino Gelasio, & Domino Callisto id ipsum itidem licuit suis privilegiis confirmare. Et quia Pisanæ Ecclesiæ, a tot Pontificibus Romanis collata & confirmata dignitas, sine manifesta culpa, & iudicio auferri non debuit, iterum iudicatum est eandem ei dignitatem debere restitui; & facta de donatione illius Romanorum Pontificum privilegii inconcussa servari: in hoc etiam honoratorum virorum Petri præfecti, consulum, & aliorum Romanæ Urbis sapientium, atque nobilium convenit assensus. Nos ergo, quod ab Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus collaudatum, a Cardinalibus iudicatum, & a Baronibus approbatum fuerat, justum esse noscentes, in conspectu omnium, te, charissime in Christo frater Rogeri Pisane Archiepiscopi, de consecratione Episcoporum Corsicane insulæ per baculum investivimus. Nunc itaque secundum iudicium fratrum nostrorum Episcoporum & Cardinalium, & secundum consilium & collaudationem Archiepiscoporum, Episcoporum, & Abbatum, & nobilium Romanorum assensum prædecessorum nostrorum Urbani, Gelasii, & Callisti privilegia Pisanæ Ecclesiæ facta, & inconcussa permanere statuimus, & præsentis privilegii pagina consecrationem Episcoporum Corsicæ tibi per te Pisanæ Ecclesiæ restitimus, quatenus secundum jam dictorum privilegiorum tenorem, tamquam proprius ejusdem insulæ Metropolitanus, Episcopatus, & Episcopus ipsius regendi, ordinandi, consecrandi, atque ad synodum tam in Metropolitana Pisana Ecclesia, quam in ipsa insula convocandi ad honorem Dei, & ejusdem Pisanæ Ecclesiæ habeas potestatem. Pallii vero usum, qui prædecessoribus tuis pro ipsius insulæ prelatione a nostris antecessoribus est concessum, Nos tam tibi, quam tuis successoribus confirmamus, his videlicet diebus, qui superscripti sunt, id est Nativitate Domini, Epiphania, Hypopanton, Cæna Domini, Pascha, Ascensione, Pentecoste, tribus solemnitatibus beatæ Genetricis, & Virginis Mariæ, Natalitii S. Johannis Baptistæ, & sanctorum Apostolorum, commemoratione omnium Sanctorum consecratione Basilicanensis suffraganeorum Episcoporum, & clericorum, annuo Natalitii tui die, in festivitate S. Sixti, in Inventione & Exaltatione S. Crucis, in Anniversario dedicationis Pisanæ Ecclesiæ, in festivitate sanctorum martyrum Stepha-

Honorius PP. sententiam hujusmodi confirmat, jure quo metropolitanus super omnibus Corsicæ Ecclesiis concessit Pisanis Archiep.

Pallii usum eisdem iudicet.